Quelle: https://manuscripta.at/?ID=41832
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Et acceperunt triginta argenteos pretium appreciati: quem appreciauerunt a filijs israel: et dederunt eos in agrum figuli: sicut constituit michi dominus. Iesus autem stetit ante presidem: et interrogauit eum preses dicens. S Tu es rex iudeorum. C Dixit ei iesus ✠ Tu dicis. C Et cum accusaretur a principibus sacerdotum et senioribus nichil respondit. Tunc dixit illi pylatus. S Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? C Et non respondit ei ad vllum verbum: ita vt mirareturpreses vehementer. Per diem autem solemnem consueuerat preses dimittere populo vnum vinctum quem voluisset. Habebat autem tunc vnum vinctum insignem qui dicebatur barrabas qui propter seditionem factam in ciuitate. Congregatis autem illis: dixit pylatus. S Quem vultis dimittam vobis: barrabam an iesum qui dicitur xps. C Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum. Sedente illo pro tribunali: misit ad illum vxor eius dicens. S Nihil tibi et iusto illi. Multa enim passa hodie